

IOANNES ZACHARIAS ERDFORDIANVS.



IOannes Zacharias Erdfordiæ natus & educatus fuit. Parentes eum à pueris optimis præceptoribus erudiendum tradiderunt. Itaq; in uirum omnis generis doctrinæ doctissimum euasit. Fuit is Philosophiæ egregius interpres, disputator acutissimus, & in habendis sermonibus ad populum facundissimus. ita ut tum neq; subtilitate ingenij, neq; rebus agendis ullus Erdfordiæ ei conferri posset. Hinc factum cum Sigismundi Imperatoris opera Oecomenicum Concilium Constantiæ celebra retur, ut Ioannes ille publico Academiæ nomine eò mitteretur. ubi etiam contra Hussium & alios (quos hæreticos uocabant) disputando & conclu dendo magnam laudem adeptus est. floruit is anno 1415. Scripsit autem in Genesim, Exodus, Epistolas Pauli, & libros sententiarum. Trit. in script. Eccles.